
BASE TEXT
Base Text
Nondum Solis equos declinis mitigat aestas
quamvis et madidis incumbant praela racemis
et spument rauco ferventia musta susurro
cernis ut ecce pater quas tradidit, Ornyte, vaccae
molle sub hirsuta latus explicuere genista
nos quoque vicinis cur non succedimus umbrits
torrida cur solo defendimus ora galero
Hoc potius, frater Corydon, nemus, antra petamus
ista patris Fauni graciles ubi pinea denset
silva comas rapidoque caput levat obvia soli,
bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa
protegit et ramis errantibus implicat umbras.
Quo me cumque vocas, sequor, Ornyte; nam mea Leu
dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.
C. prome igitur calamos et si qua recondita servas;
nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper
matura docilis compegit arundine Ladon.
Et iam captatae pariter successimus umbrae.
sed quaenam O. sacra descripta est pagina fago,
quam modo nescio quis properanti falce notavit?
O. aspicis ut virides etiam nunc littera rimas
servet et arenti nondum se laxet hiatu?
C. Ornyte, fer propius tua lumina : tu potes alto
cortice descriptos citius percurrere versus;
C. nam tibi longa satis pater internodia largus
procerumque dedit mater non invida corpus.
O. Non pastor, non haec triviali more viator,
sed deus ipse canit: nihil armentale resultat,
nec montana sacros distinguunt iubila versus.
C. Mira refers; sed rumpe moras oculoque sequaci
quam primum nobis divinum perlege carmen.
O. Qui iuga, qui silvas tueor, satus aethere Faunus,
haec populis ventura cano: iuvat arbore sacra
Only tokens with variants
OVERVIEW
PAGE VIEW
LINE VIEW